

312

310

316

306

321

301

361

261

411

211

Ende

Anfang

301

digitis plaudens, ad ludendum me provocans cum ea. Aliquando, si bestia dormiebat, faciebam cum digitis strepitum ad parietem et concitabam bestiam, nunc ad laetitiam, nunc ad iram, prout volui. In scribendo tamen plus de tempore consumsi. Igitur coacti sumus hoc die in illo portu manere, et erant marinarii tristes et impatiens pro eo, quod S. Clemens, cuius festum erat, non fecerat promissionem de bono vento, quem singularissimum maris patronum profitentur, et quasi pro augurio diem illum considerant et ab ejus qualitate sequentes judicant.

Vicesima quarta die post noctem inquietissimam propter nimiam navium agitationem ejecerunt alias anchoras firmantes navem spiris fortioribus, quia timebant, quod funes, quibus alligatae stabant, solverentur et rumperentur, quod fuissest noster et navis interitus, quia circumdati cautibus et scopolis eramus et altissimis rupibus cincti, in quas navis impingens in mille frusta confringeretur.

Porro post prandium educti ad littus per scapham in oppidum Scheffanum ascendimus, bene per unum magnum milliare teutonicum, ut emeremus recentes panes, quia paximatis fastidivimus. Dum autem ad castellum venissemus, clauerunt portas, ne ingredieremur, et omnem communionem nobis denegabant, nihil penitus volebant nobis ministrare, nec panem nec aquae potum, nec pecunia nec pretio; quinimo cum lapidibus a porta et muris nos fugabant; auditum enim et divulgatum apud eos fuerat, quod classis nostra peste esset infecta et quod defuncti cadaver nobiscum duceremus et multi essent de nobis mortui, ideo tali acrimonia ad nos sunt usi. Vacui ergo reversi sumus in classem. Si Jasonis et Argonautarum robur habuissemus, contra eos proelium movissemus, sicut praedicti contra Trojam pro eo, quod rex Trojae a portu civitatis eos repulit. Porro galeotae et marinarii spem magnam habebant, quod S. Catharina, maris magna patrona, pro vento bono exoraretur, cuius festum instabat, sed dum nox adesset, plus solito mare turbatum habuimus et inquietissimam noctem egimus (177 b).

Die vicesima quinta, quae est festum beatissimae virginis Catharinae, non erat bonus aurae flatus, sed nobis omnino contrarius: propter quod naucleri nostri impatiens blasphemabant et Deum et S. Catharinam, timebant enim, ne eis accideret sicut

